



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LIII. Parænesis ad gratiarum actionem Deo debitam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

Hunc fructum S. Paulus typo boni odoris vitæ <sup>2. Cor. 2. v. 4</sup>  
Christianorum ob oculos ponit.

In EPILOGO ut caveant hortaberis Auditores, omnes occasiones scandalorum, vel pravarum suspicionum, & bonam studeant colligere & cōservare famam bonis operibus & vita piè sancteque acta: virtutem enim, non secus atque umbra corpus, sequitur bona fama, honor, & gloria. Vnde Agesilaus Rex rogatus, quæ ratione potissimum <sup>Rom. 2. v. 10</sup>  
quis assequi posset, ut apud homines honestâ ha- <sup>Phil. 2. v. 15</sup>  
beret famam: *Si loquatur, inquit, quæ sunt optima, & <sup>Val. li. 7. c. 20</sup>*  
*faciat quæ sunt honestissima.* Et Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent tales etiam essent.

### LIII. PARÆNESIS AD GRATIARUM actionem Deo debitam.

IN EXORDIO dices, neminem Deo, omnium rerum auctori & principio, dignam gratiarum actionem rependere posse, cum dignum munus, ut loquitur Greg. Naz. offerre Deo vix ipsi quoq; Angeli <sup>Orat. 2. in</sup>  
possint, illi inquam primi, intellectuales, & puri, super- <sup>Tasch.</sup>  
naq; gloria spectatores ac testes: & nos si quotidie (ut <sup>Hom. 26.</sup>  
ait S. Chryf. in Mat. post enumerata aliquot Dei beneficia) pro eo qui nos tam mirificè amat, moriamur, condignas referre gratias immò verò minimum quid debiti reddere nequaquam possimus.

In PROPOSITIONE, Te ramen Auditores, ut pro virili Deo semper gratias agant, adhortaturum.

CONFIRMAT. I. LOCUS à dignitate ac nobilitate huius virtutis, quam vel hinc deprehendere licet, quod ad religionem, moralium virtutum præstantissimâ, pertineat, & quod circa nobilissimum objectum, Deum eiusq; beneficia, quorum nullum est exiguum, ut loquitur S. Chrysoft. versetur. Atque hac de causa in divinis Scripturis <sup>passim</sup>

Chryf. hom.  
26. in Matth.  
Casian. Col-  
lar. 9. col. 14.  
& 15.

passim gratiarum actio inter honorifica officia Deo delata numeratur, (ut i. *Esdra. 12. v. 17. Esai. 51. v. 3. Apoc. 7. vers. 12.*) & in iisdem Sacrificium laudis appellatur, & omnibus veteris Legis Sacrificiis antefertur, ut docet S. August. *contra adversarium Legis & Proph. lib. 1. c. 8.* Item nobilissimum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum & Sacrificium, quod cum gratiarum actione à Christo ipso institutum est, Eucharistia, hoc est gratiarum actio appellatur, & S. Paulus in *priore Epist. ad Tim.* postremum locum inter rationum formas hoc est, dignissimum, gratiarum actioni assignavit.

II. Locus à necessitate huius virtutis, quam divina oracula nobis commendant. Nam, ut liquet ex Levitico, peculiare Sacrificium pro gratiarum actione cum suis ritibus decretum est. Et Apostolus crebrò ad eam hortatur, ut *ad Ephes. 5. vers. 4. & 20. ad Philip. 4. v. 6. ad Colos. 3. v. 15. 1. ad Thes. c. 5. v. 17. 2. ad Thes. 1. v. 3. 1. ad Sim. 2. v. 1.* Denique suo exemplo in gratiis agendis Deo est creberrimus per omnes epistolas: ita & Christus ipse, *Matth. 15. v. 26. Marc. 8. v. 14. Luc. 17. 18. v. 22. Ioan. 6. v. 11. Sanct. Ambr. serm. 42. Si accipientes, ait, divina munera tacti immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur.*

III. ab utilitate: quia gratias agendo Deo, potius accipimus aliquid ab illo, quàm quod aliquid ei demus. *Ei qui omnia (inquit Nazianz orat. de pauperum amore) elargitus est, universas opes datis: nunquam Dei liberalitatem & munificentiam vinctes, quamvis omnium tuarum facultatum iacturam feceris, quamvis te etiam facultatibus adjunxeris.* Nam hoc quoque ipsum accipere est, Deo aliquid donare. S. Chrysof. *Hom. 28. in Matth. Nos hominum beneficia recordantes, ait, vehementer eorum amore succendimur: multo magis beneficiorum in nos Dei memores studiosiores erimus ad ipsius mandata servanda.* Et  
expo-

DEO GRATIÆ AGENDÆ. 189

exponens verba illa Davidis Pſal. 7. v. 18. *Confitebor Domino, &c. Deo, ait, magna cura est, ut in virtute crescamus: nihil autem æquè facit in virtute crescere atq̃ cum Deo assidue versari & colloqui, eiq̃ perpetuò gratias agere & psallere.*

IV. à contrario, quòd gratitudo apud gentiles etiã in summa vituperatione fuerit. Vnde Sen. lib. 3. de benefic. c. 1. ab hac sentètia inchoavit: *Non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur.*

V. ab adjuncta equitate: quia magna & multa in nos extant Dei beneficia. Vnde S. Chrysoſt. hom. 27. in Genesin: *Demus, inquit, & nos operam ut gratiarum actiones pro virili Domino offeramus pro donis quæ ab eo pridem nobis præstita, & ut majora inde consequamur, & non obliviscamur Dei beneficia, in nos collata sed semper ea in mente nostra versemus, ut ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, ut mens nostra non sufficiat ad comprehendendum & enumerandum magnam quæ nobis contingit, illorum ubertatem. Quomodo enim quis cogitare sufficeret ea, quæ in nos jam sunt collata, quæ item promissa, quæ & quotidie conferuntur? Hic licet digredi in laudem beneficii Redemptionis nostræ per Christum, quod obstupescens tonitruum filius, ait S. Chrysoſt. hom. 27. in Gen. consideransque charitatis divinæ excellentiam, quam erga genus nostrum declaravit, clamabat, & dicebat: Sic enim dile-* 104. 3. v. 16.

xit Deus mundum, &c.

VI. ab exemplo brutorum animantium, ut Canum, (Amb. 6. Hexameri,) quæ pro beneficiis quodammodo gratias agunt: unde patet homines ingratos etiam naturæ reluctari.

In PERORATIONE monebis Auditores, ut beneficia Dei quæ omnibus hominibus sunt communia, reputent sibi solis præstita; uti S. Paulus mortem Christi, quæ pro universo expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit ad Gal. 2, v. 20. &c. ut cum debita

Bern. ser. 13.  
in Cant.

bita humilitate, simplicitate, & sinceritate Deo semper etiam in adversis gratias agant, imò certa tempora quotidie sibi describant, quib<sup>9</sup> Deo gratias agere consueſcant, cùm nulla hora sit, nullum momentum, quo non beneficio Dei utamur.

LIV. PARÆNESIS AD LAUDATIONEM, seu laudem Dei.

EXORDIUM, iis de rebus apud ingenuos Adolescentes crebrius tractandum est, quæ ad hujus vitæ curriculum feliciter decurrendum conducunt, quæq; non mediocriter nobis in ea lucta servire possunt, quam cum infensissimis hostibus nostræ salutis nullo non tempore gerimus.

PROPOSITIO: Inter illa cùm non in postremis sit collocanda laudatio divina, te Auditores ad eam invitaturum.

CONFIRMAT. I. LOCUS, ab excellentia & dignitate divina laudationis, quæ inde patet PRIMÒ, quod sit primarius actus virtutis Religionis, quæ principatum obtinet inter omnes virtutes morales, eò quod propinquius, quàm aliæ, respiciat Deum. Nam Deum laudare est, ut ait S. Chrysoſt. amplissimas Dei virtutes enarrare & deprædicare, ut illius bonitas majestasq; mortalibus innotescat, utque ab omnibus divinus ipsi cultus deferatur: ideoque quotidie in Oratione Dominica dicimus: Sanctificetur nomen tuum. Quantumcunque enim ab homine Angelove instituatur laudatio, longè impar & inferior est excellentia & majestate Dei, teste Syr. cap. 43. v. 31. SECUNDÒ, Quia Spiritus Sanct. hunc laudationis cultum non obscure prætulit omnibus Veteris Testamenti Sacrificiis, Psalm. 49. v. 9. Psalm. 115. v. 17. Psalm. 68. v. 31. TERTIÒ, quia propria Angelorum, omniumque Beatorum, in omnem æternitatem Deum collaudantium: quos spiritu plenus Rex David Psalm. 148. hortatur ad